Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 257
Quelle:
Copyright:

ſtro adparent, quod annum ſcriptionis 1538. praefert.

II. *fol.* 93. p. 2. Sermones incipiunt, quorum hi Tituli: *In die Natiuitatis pręcelſę genitricis Dei Marię. Epilogus de quadruplici exercitio ſpirituali. Anno 1538. ipſo die Egidij qui erat dies dominicus factus eſt a me iſte ſermo in monaſterio monialium S. Marię Magdalenę Spiris in aſſumptione cujusdam Virginis novitię. In Primitijs apud Sepulchrum domini. Spirę. In die Corporis Chriſti. In Ferijs Petri et Pauli Apoſtolorum. In Ferijs S. Dominici. Dominica infra Octauas Aſſumptionis in monaſterio monialium S. Marię Magdalenę in ſuſceptione vnius Novitię. 1538. In Ferijs Diui Bartholomei.* Sermones hos eodem Loco, Anno et Calamo ſcriptos, quo ſequens Opuſculum, vix dubium eſt pertinere ad celebrem Eccleſiae Rom. Catholicae Theologum *Johannem Cochlaeum.*

III. *fol.* 171. inſcribitur hoc Opuſculum: *De immenſa dei erga Germanos Miſericordia.* Praefamen incipit: *Joan. Cocleus Alexandro Cardinali Rom. Eccleſię. Reuerendiſſ. domine. illuſtriſſ. princeps. Quam fauens fuerit ſemper inclita Farneſiorum domus bonis ac pijs literarum ſtudijs, multis ſane beneficiorum et gratiarum erga literatos argumentis per annos XL. ſuo in Cardinalatu declarauit ſanctiſſimus dominus noſter Paulus Papa III. R. D. T. Patruus magnus* &c. Tractatus ipſe: *Recte profecto ac vere meritoque dicimus nos Germani cum Hiere. propheta: Miſericordię domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius.* &c. Ducto porro ab antiqua Eccleſia initio damna recenſet a Diſſenſionibus in Religione cauſſata, delapſusque ad *Bohemiae* Regnum imaginem ejus ante et poſt *Joh. Huſſi* tempora vivis coloribus exprimit. At vero *Huſſum* longe tolerabiliorem fuiſſe *Mart. Luthero. Quod — declarare intendo ex breui quodam libello ſermonum Hus, quem Pragę nuper a quodam Canonico Pragenſi commodatum accepi, cui vnicum Lutheri ſermonem, quem citra delectum e poſtilla eius legendum eius rei gratia in manus recepi, opponam.* En Opuſculi argumentum, quod ſubſcribitur: *Spiris ipſo die ſexto idus Maias Anno noſtrę ſalutis. 1538.* Altum de eo apud Bibliographos, quos ad manum habeo, ſilentium, neque in *Cochlaei Libris III. Miſcellaneor. Ingolſt.* 1545. 4. reperitur. Impreſſum tamen fuiſſe docet ipſe Autor in *Catalogo Brevi Eorum, quae contra Novas Sectas ſcripſit. Mogunt.* 1548. 8. ubi ad an. 1538. ejus diſerte meminit. Sed nempe *Catalogus* hic ipſe aeque rarus videtur ac Noſtri *Vita Theodorici Regis Oſtrogoth.* quam ante Editionem *Holmiae* a ſe 1699. procuratam in *Suecia* manu deſcribi ſolitam fuiſſe *Joh. Peringſkioldus* teſtatur. Quo loco doctorum Catholicorum ἀμελειαν mirari ſatis nequeo, qui in congerenda praecipuorum Religionis ſuae aevo illo Statorum, puta *Cochlaei, Emſeri,*